



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput LX. De oblocutore Devotarum Sororum in Volkmaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

quodam tempore necessitate eam ad hoc compellente præfatū Patrem Monasterij B. MEINULPHI visitaret, elque exponens, quòd non exiguum defectum ipsa, & Sorores ejus in temporalibus necessarijs sustinerent, quapropter humiliter illa eum precabatur, quatenus triginta florenos sibi concedere dignaretur, ut sic saltem necessitates, quibus premerentur, possent mitigare. Prior verò, cui non mediocris cura, & temporalium provisio ob amplam suam familiam imminebat, sibi dictos florenos concedere denegavit. At supradicta devota Mater nequaquam negationi Prioris cedens, more Cananæ mulieris iterum atque iterum sibi hujusmodi florenos mutuari expetivit. Tandem idem Prior misericordiâ, & humili petitione permotus tantùm viginti florenos ipsis mutuavit ad tempus, & ecce Dominus DEUS volens prædicto Priori pietatis opus, quod mutuando perfecerat, sibi recompensare, ex sua magna pietate, & ordinatione mirabili dispositum erat, ut eadem die, qua præmemoratus Prior viginti florenos devotæ dictæ Matri mutuum dederat, supervenit quædam Sæcularis mulier, quæ eidem Priori viginti florenos contulit, & donavit dicens: quòd triginta florenos debuisset apportasse, sed aliud intervenisset, propter quod reliquos decem minimè apportaret; quæ verba præfatus Prior considerans stupore, & dolore perusus, manu validè pectus percutiens loquebatur In hæc verba: *O utinam supradicta devota Matri triginta florenos concessissem, & nunc absque dubio ullo hæc alia Mulier à foris superveniens triginta florenos mihi donasset.* O mirabilis sententia DEI permittentis, quòd eadem mensurâ, quâ alijs mensi fuerimus, remetietur nobis! quapropter, qui ob dilectionem Dei ausi sunt proximis in necessitatibus suis non solum necessaria mutuare, sed & donare, ut ipse eloquendò præcipit: *date, & dabitur vobis*, absque ulla dubitatione mensuram condignam cum merito charitatis ab eodem recipere promerentur.

## CAPUT LX.

### *De oblocutore Devotarum Sororum in Volkmaria.*

**E**T quia materia satis solatiofa supradictæ Congregationis in Volkmaria producta nunc allata fuit, audiatur & nunc quoddam factis horribile, quod cuidam Sacerdoti oblocutori, ac persecutori Sororum prædictæ Congregationis manifestè acciderit.

Erat

Erat enim quidam Sacellanus in *Volkmaria* Diæcesis Moguntiensis nomine *Rolandus*, qui nescio quo spiritu ductus Sorores supradictas in oppido dicto verbis detractorijs multum molestavit: quod dum aliquantulum propter majus prædictarum Sororum meritum protelatum fuit, & pius Dominus dictæ detractioni finem imponere volens, & malitiam Sacellani refrænare, contigit quadam vice eundem Sacellanum stare in Ambone, ut populo prædicaret, & quia in eadem prædicatione præfatas Sorores confundere intendebat, proterva voce eas specialiter nominans ad populum loquebatur in hæc verba: *Cavete vobis ab his, qui ad vos veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, & quales dictæ Sorores in vita fuerint, post septem dies immediatè sequentes vobis in sermone meo faciam manifestum.* Quibus verbis à se prolatis mutus, & elinguis factus est in ambone, & loqui nesciens enim maxima confusione à sermone abstinens descendit, & abiit: sicque iudicio DEI factum est, ut qui alijs injustam confusionem inferre laboravit, ipsi justissimè confusionem maximam Dominus DEUS coram omni populo immisit. Etiam quia ejusdem Sacellani peccatum, quod in supradictas Sorores commiserat, forsan nondum ad perfectum per prædictam confusionem purgatum fuit, accidit ergo, quòd post eandem suam confusionem demeritis ipsius exigentibus captus, & incarceratus fuerit, nec inde emissus, nisi per supplicationes, revocationes, & sponiones suorum amicorum. Prædictum horribile factum omnes hi advertant, qui Religiosis aut devotis Personis detrahere non verentur, & ne supradictam confusionem aut etiam majorem sustinere cogantur, præmemoratis Personis nequaquam sint molesti.

## C A P U T L X I.

*De quodam gaudioso miraculo, quòd accidit Priori supradicto.*

**A**udiatur adhuc aliud satis mirabile factum, quod Dominus DEUS operatus est circa Priorem supradictum; quodam namque tempore idem Prior devotam Sororum Congregationem in oppido Lippiensi, cujus ipse & ejus successores (quemadmodum